Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 969
Quelle:
Copyright:

P. I. *Annal. Reg. Hung.* L. IV. p. 387. vulgato videatur res inter minas constitisse, videlicet, si Vaivoda antiquam Coronam reddere pernegaret. Ceterum totum hoc negotium inclitus ille Annalium Scriptor loco *cit.* graviter, ut solet, et eleganter enarrat.

III. *fol.* V. p. 2. sequitur *Dionisius de ecclesiastica Jerarchia* praecedente obscuro illo Epigrammate, de quo mentem meam aperui *Vol.* I. P. 1. *col.* 683. ubi hoc Opus ex eadem *Joh. Erigenae* Versione retuli. Epigramma infit: *Simbola diuinorum mirabilium* &c. Opus ipsum: *Quia quidem secundum nos* &c. Exemplum praesens integrum quidem, sed minus castigate scriptum est.

IV. *fol.* 33. *Dionisius de diuinis nominibus* praevio pariter Epigrammate illo: *In animum splendor* &c. Operis initium: *Nunc autem o beate* &c. ut *Vol.* mox. citato; sed in verbis *Cap.* X. *et non sinens ea cadentia ut ex perfectissima refectionem* — — quae graece sunt: ὡς ἐκ παντελοῦς ἑστιας κινουμενα παραπολεσθαι abrumpitur.

V. *fol.* 57. Commentarius logicus in *Aristotelis Categorias* per duas columnas Sec. XIV. minute currente calamo multis compendiis exaratus, cujus initium: *Forma est compositioni contingens. Objectum huius libri est. Accidens determinatur in genere adveniens extrinsecus* &c. Fine truncatus.

VI. *fol.* 66. *Summa*, ut in calce adpellatur, *de processu judicii.* Init manu Sec. XIV. *Antequam dicatur de processu iudicii notandum est quid sit iudicium* &c. ut *Vol.* I. P. 2. *col.* 1278. ubi Libellum hunc ἀνωνυμον jam retuli. Hic ad calcem Versiculis hiulcis 18. commendatur, quorum initium:

Finis inest operi scriptor te redde quieti &c.

Vestitur Codex interne fragmentis Decretorum liturgicorum *Domus karthusie*, incertum, an *Magnae*, an alterius cujusdam.

CCCCXIX.

R. 3265 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 254. f. luculente et probe scriptus, rubricis enotatus, et, ut e quodam vestigio *fol. ult.* p. 2. adparet, olim *Sitticensis* in *Carniolia* Coenobii Ord. *Cist.* ita praesignatur: *Incipit Liber Primus domni Bernhardi Clareuallensis abbatis De consideratione. scriptus ad Eugenium Papam.* Nempe: *Subit animum dictare aliquid* &c. ut Edit. *Maur. Paris.* 1690. T. II. *col.* 407. Textus absque divisione in Capita integer atque castigatus est; neque id mirum, cum fortassis ante Autoris beati annum emortualem 1153. jam descriptus sit.

II. *fol.* 39. p. 2. ἀνεπιγραφως Tractatus Ejusdem *de diligendo Deo* sequitur: *Viro illustri domno americo ecclesie romanae diacono cardinali & cancellario. B. abbas dictus de claraualle domino uiuere et in domino mori. Orationes a me et*